



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

29. Dies Julii. Membra sumus Magni Corporis. Seneca Epist. 95.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

29. DIES JULII.

Membra fumus Magni Corporis. *Seneca**Epist. 95.*Benevo- I.
lencia.

Quam est facile cuivis homini velle : tam non est difficile, omnibus benè velle. Hinc nascitur ex Charitate, pulcherrimæ matris, pulcherrima proles, Benevolentia. Cujus, si pondus non intelligis: pondera Divi Ambrosii verba, ut intelligas: (a) *Tolle ex usu hominum Benevolentiam, tanquam Solem è mundo tuleris, ita erit, quia sine ea usus hominum esse non potest.* Eiusdem momentum capies, si suis momentis expendas illud adagium, haustum è penu Divi Hieronymi: (b) *Unus Benevolentia pilus magis trahit, quam centum boves, centum bobus juncti.* Benevolentia non tantùm fortiter trahit, sed firmiter munit. Hinc, amicis suadentibus Antigono, ut si Athenas caperet, validis illam præsidus communiret, ne quando deficeret: respondit, se semper fuisse in ea opinione: ut crederet nullum esse Regni præsidium firmius, quàm civium benevolentiam. Est autem benevolentia latè patens, & ad omnes quoscunque fulsissimè sese explicans; quia nullus omninò est, quem suo sinu non complectitur: nullus, qui ejus fructu excluditur. Omnes quippe homines sumus: eodem, omnes, parente Deo procreati: cujus etiam sapientissimum consilium in universo hominum genere, ex unius primi hominis substantia, ad stabilien-

Oo 5

dam

(a) *1. Offic. c. 32.* (b) *Nov. l. 2.*

dam Charitatem educendo, omnes Sapientes merito suspiciunt.

II. Plurima habemus in rerum natura concordia inter nos pignora, & Charitatis vineula. Hoc accuratè expendit Divus Chrysoftomus: ex eo, quòd omnes ejusdem substantiaè simus. (a) *Deinde, quòd ex viro sit mulier, & liberi, item ex utroque. Hinc multi nascuntur affectionis modi. Hunc, quia pater est, amamus; illum, quia avus: hanc, quòd sit mater: illam, quòd nutrix: hunc, quòd filius: illum, quòd nepos: & illum, item, quòd pronepos: hanc, quia filia: illam, quia neptis: hunc, quia frater: illum, quia ex fratre nepos: hanc, quia soror: illam, ex sorore nepotem: & quid recensere universam cognationis seriem attineret?* Sic Deus nos undique conjunxit à natura, à sanguine, à cognatione, ab affinitate, à commercio, à similitudine, à lingua, à loco. Aliud deinde, insigne est argumentum ad infingendam sinceram, & integram ergà omnes Benevolentiam: ex eo petitum, quòd omnes, quotquot sumus, fratres sumus. Quod observat in hunc modum Divus Ambrosius: (b) *Omnes homines unius naturae partus sunt, intra ejus concepti viscera, & uno fons, atque effusi utero. Unde nobis jure quodam germanitatis, velut fratres connectimur, ab uno Patre conditi, & unà Matre, tanquam fratres uterini editi. Et ideo, cum simus rationalis naturae soboles, tanquam uterinos diligere debemus amore mutuo.*

III. Est & aliud argumentum in hanc rem deductum: quòd non modò simus tanquam unius uteri fratres; sed unius humanae societatis, tanquam

(a) *Hom. 20. ad Ephes.* (b) *L. 2. de Abraham. c. 9.*

Julius.

Tessera.

587

quam unius corporis membra. Unde hanc formulam humani officii sic tradit Seneca : (a) *Omne hoc quod vides, quo Divina, atque humana conclusa sunt, unum est: Membra sumus Corporis Magni. Natura nos cognatos edidit: cum ex iisdem, & in eadem gigneret. Hac nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit. Illa, æquum justumque composuit. Ex illius constituta one, miserius est nocere, quàm ladi. Ex illius imperio, parata sunt juvantis manus. Sed ad persuadendam hanc mutuam inter homines concordiam: nullum est nervosius argumentum, quod nisi Benevolentiam invicem exhibeamus, & tueamur, actum erit de humana societate; ut non tam leviter ostendit, quàm graviter convincit Seneca : (b) *Nam, quo alio tuti sumus, quàm quòd mutuis juvamus officis? Hoc uno instructior vita, contraque incursiones subitas munitior est beneficiorum commercio. Fac nos singulos, quid sumus? Præda animalium, & victima, & vilissimus, ac facillimus sanguis. Quoniam cæteris animalibus, in tutelam sui, satis virium est. Quæcunque vaga nascuntur, & actura vitam segregem, armata sunt. Hominem, imbecillitas cingit: Non unguium vis, non dentium, terribilem fecit cæteris; Nudum, & infirmum societas munit. Hæc benè expensa, Benevolentiam cuilibet non tantum suadebunt, sed extorquebunt. Non cuivis est integrum, cuivis benefacere: quivis tamen potest cuilibet benè velle. Ubi non datur munus, superest, ut detur saltem benignus vultus. Enimverò,**

Dat multum: placidum dans, vel sine munere vultum.

30. DIES

(a) *Epist. 95. (b) L. 4. de benefic. c. 18.*